

**P**ars Eloquentiae leuior in manibus est. Ut enim in cogitationibus in-  
que actibus humanis, sic in verbis  
quoque seriis contracta fatigatio ioco-  
rum vicissitudine mitigatur. Quod ge-  
nus, vel Facetias appellare possumus vel  
Sales, quod sermonibus nostris sapidissi-  
mum condimentum præbeant, vel ut est  
apud Ciceronem Apophthegmata, sed  
latentia & tacita, cui apud Græcos: Seom-  
mata, apud nos proprium vocabulum  
non est, nisi forte dicamus cum Macro-  
bio, morsum figuratum, fraude vel urba-  
nitate tectum: Cui quoniam lepos ad-  
mixtus est, vngit (ut aiunt) ac pungit:  
mulcet enim exterius, intromisum vulne-  
rat. Hinc videmus interdum ridentibus  
qui adsunt, ipsum ad quem iactati scom-  
matis sensus penetrauerit, irasci. Potest  
quidem nuda sine figuris exprobratio,  
tam propriis tamque sonantibus ac bre-  
vibus verbis proferri, ut & si nihil præ-  
ter vulnus agat, ipsi tamen promptè vi-  
brati sermonis acies, sicut ei in quem con-  
torta fuerit dolorem, sic cæteris nescio  
quid acerba voluptatis afferat, nihil præ-

104